



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

5. An sit peccatum necessario in confessione explicandum, si quis fecit
aliquid contra conscientiam dictantem illud confuse, ut peccatum, non
determinata materia particulari, nec unde possit deduci, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

& similibus casibus teneatur penitens talis circumstantiam notabiliter minuentem in confessione aperire. Et affirmatiū respondet Sotus in 4. diff. 1. 8. q. 2. art. 4. concl. 5. & nouissimè Philippus Faber de panit. in 4. sent. diff. 17. q. 9. vnic. disp. 2. 4. c. 1. n. 2. 3. cum aliis, & ratio est, quia si non explicatur talis circumstantia, Confessarius decipitur in re gravi. Deinde si circumstantiae notabiliter aggrauantes sunt necessariā confitenda, secundum aliquos, ita & minuentes.

2. Nec valet dicere cum Nauarro, Paludano, & aliis, quos citat & sequitur Suarez to. 4. diff. 2. 2. sent. 3., contrariam sententiam docens, magnam esse differentiam inter circumstantias aggrauantes, & minuentes, tum quia si à penitentia non explicentur, non possunt excogitari licet à Confessore, quia faceret ei iniuriam; minuentes vero sine periculo à iudice possunt excogitari prudenter ex aliis coniecturis. Ceterum, pace viri docti, haec rationes videntur non satis probatae; nam certè quodd aliquis puella admittat iuuenem ad se ad peccandum cum mortis periculo, vel si inopia oppresa, non est modus ordinarius, & si quis vellet facere hoc iudicium sine confessione penitentis, facile posset decipi, vt patet, quia haec raro accidunt; nec debet Confessor iudicare peccatum ita esse factum, nisi ex confessione penitentis sibi constet, neque ex aliis coniecturis potest hanc circumstantiam iudicare facilè, quia puella non teneatur ei aperire statim, & circumstantias, quae non pertinent ad confessionem, ex quibus tamen habuit orum illa oppressio, & metus.

3. Verum quia ego puto circumstantias notabiliter aggrauantes non esse in confessione explicandas, conqueanter doceo, nec notabiliter minuentes, & ideo in causa proposito de puella negatiuam sententiam doceo.

RESOL. III.

An ingratitudo, qua quis post remissa peccata denuo peccat, sit necessario confitenda?

Et utrum maius peccatum sit, quod committitur contra innocentiam, an contra beneficium remissionis peccatorum? Ex part. 10. tractat. 1. 3. & Miscell. 3. Refolut. 40.

§. 1. **S**cotus in 4. diff. 2. 2. quest. 1. art. 3. putat necessario esse explicandam in Confessione hoc modo: Antea grauerit Deum multis peccatis offendit, & puto me fuisse confectum veniam, unde nunc rursus peccando, tanto beneficio fui ingratis. Respondeo, & dico primo: Quando ingratitudo est speciale peccatum, est necessariò confitenda; vt si quis longo admidum tempore nullas Deo gratias egit, si beneficia illius contempsit, vel etiam paruificit, si aliquid in contemptu Dei, vel eius beneficiorum fecit. Est communis sententia Doctorum. Dico secundo: Quando ingratitudo non est peccatum speciale, sed dumtaxat circumstantia peccati, non est necessariò confitenda. Est etiam communis Doctorum. Et ratio est, quia et si addat aliquam nouam malitiam super malitiam peccati, non tam tantum est momenti vt per se sit mortalitatis. Adde, quod nec Fideles confueuerint se de hac circumstantia accusare, nec Confessarij eos interrogare. Bonum tamen est eam explicare ad maiorem humilitatem. Et haec omnia Docet Lessius in 3. part. D. Thome, quest. 88. art. 2. num. 1. 2.

2. Sed utrum maius peccatum sit, quod committitur contra innocentiam, an quod contrà beneficium remissionis peccatorum: Scotus diff. 2. 2. art. 3. & Casianus ubi supra, in D. Thome, putant maius esse

peccatum, quod contrà innocentiam sit; quia tunc innocentia est maius beneficium, quam remissio peccatorum. Contrarium videtur sentire D. Thomas hic ad 3. & Dominicus Soto, diff. 1. 6. q. 1. art. 2.

RESOL. IV.

An qui solum meminit peccasse mortaliter, nescit tam speciem peccati, possit illud tantum in genere confiteri, non se accusando de aliquo peccato in particulari?

Et an qui non habet peccata mortalia, sed tantum venialia satisfaciat in genere, dicendo se venialiter peccasse, non explicata species, vel numero peccatorum? Ex part. 3. tract. 4. Refol. 66.

§. 1. **N**egatiam sententiam docent Abulensis, Cano, Medina, Sotus, & Ledesma apud Villalobos ubi infra, quia confessio est actus judicialis, vt patet ex Trid. sent. 1. 4. c. 5. Ergo debet verlati circa aliquod peccatum particulare.

2. Sed contrariam sententiam sustinendam esse puto, quam docent Cominch de Sacr. diff. 7. dub. 10. n. 97. & Layman in Theol. mor. lib. 5. tr. 6. c. 12. n. 7. ubi sic assertit. Si penitentis non recordetur speciem peccati, sed tantum in genere se mortaliter peccasse, v.g. in prava cogitationi contentiendo, debet hoc ipsum Confessario explicare, cum haec sit sufficiens, immo necessaria materia sacramentalis confessionis, & absolutionis. Ita ille qui citat D. Thomam, Nauarum, & Suarez, & hanc sententiam fusse docet Villalobos in sum. 10. 1. tr. 9. diff. 3. 4. n. 3. verum est, quod addit, que como no ay hombre que no tenga peccados veniales baga prudentemente que en este caso confessare tambien algun pecado venial, por andar a lo cierto en negocio de tanta importancia, mas quando no lo bi[us]t[us] la confessio general que queda dicha, es materia bastante el articulo de la muerte y fuerza del. Sic Villalobos, qui responderet ad argumentum supra positum.

3. Notandum est etiam hic obiter, quod aliqui Doctores, quos tacito nomine referunt Homobonus de exam. Eccles. p. 1. tr. 5. c. 1. 3. 9. 8. 3. & Bonacina de Sacr. diff. 5. q. 5. sent. 2. punct. 2. 8. 3. diff. 2. n. 1. 5. tenet, quod, qui non habet peccata mortalia, sed tantum venialia, satisfaciat in genere, dicendo se venialiter peccasse, non explicata species, vel numero peccatorum. Et hanc sententiam, tanquam probabilem, admittere videtur Homobonus, nam contrariam, quam ipse tenet, vocat tantum veriorem, sed illam ex Suarez, & Cominch refutat Bonacina ubi supra.

RESOL. V.

An sit peccatum necessario in confessione explicandum, si quis facit aliquid contra conscientiam dictantem illud confusum, vt peccatum, non determinata materia in particulari, nec unde possit deduci, an sit mortale, vel veniale?

Et notatur, quod se quis falsò putans hodie esse Vigiliā, carnes comedat, an sufficiat dicere in confessione, co-medi carnes in die prohibito, quia peccatum eiusdem speciei commisit, ac si vere fuisse Vigilia?

Ex quo in se non agere contra conscientiam non esse speciale peccatum contra speciale preceptum, vel viceversa. Ex part. 3. tract. 4. Ref. 1. 6. 1. alias 1. 6. 2.

§. 1.* **A**ffirmatiū respondent Vasquez in part. 1. diff. 5. 9. cap. 3. num. 10. Azorius tom. 1. lib. 2. cap. 8. quest. 6. Clavis Regia lib. 1. cap. 4. na. 17. videtur Reginaldus tom. 1. lib. 1. cap. 3. 2. & alij. Nam operari cum

De Circumstantiis aggrau. Ref. IV. &c. 345

cum tali conscientia, est peccatum mortale, qui enim ita operatur absque alio examine, exponit le periculum peccati mortalis, & ideo venialiter vult illud committere, quaecumque sit; ergo operari cum tali conscientia, est peccatum mortale, unde necessarium est in confessione aperiendum. Hac sententia est probabilis.

2. Sed non minus probabilem contrariam esse existimo, quam tuerit Valentia tom. 2. dis. 2. queſt. 14. punt. 4. Salas in part. 2. queſt. 1. tract. 8. dis. 1. ſect. 3. num. 3. Nauarrus in manual. pral. 9. num. 9. & alii, quia velle id quod in genere dumtaxat iudicatur illicitum, non videtur esse gravis malitia, cum huiusmodi voluntas contineat le adhuc intra limites eius rationis, qua est communis peccato mortali, & veniali, & ideo est imperfecta in genere mali, & constituit tantum peccatum veniale. Ergo operari cum tali conscientia, non erit necessarium in confessione explicare. Secus autem, quando aliquis operatur cum conscientia dictante aliquid esse mortale, aut veniale speciatim.

3. Notandum est etiam hic obiter, quod si quis a falso putans hodie esse vigiliam, carnes comedat, sufficiet dicere in confessione: Comedi carnes in die prohibito, quia peccatum eiusdem speciei commisit, ac si vere fuisset vigilia, quidquid in contrarium altera Valentia to. 4. dis. 7. queſt. 11. punt. 1. & Nauarrus in man. cap. 6. num. 1. 4. affertur esse neccafium explicare, quod peccaverit contra conscientiam. Vnde infertur agere contra conscientiam, non est speciale peccatum contra preceptum, vel virtutem, sed continere tantum generalem, quandam rationem peccati, qua determinatur ad talen rationem peccati, ex tali aut tali materia precepta, quae per conscientiam proponitur. Vide Salas in part. 2. tract. 8. dis. 1. ſect. 3. num. 28. Clauem Regiam lib. 1. c. n. 12. & alios penes ipos.

RESOL. VI.

An qui cum conscientia erronea fecit aliquid nec tam in cogitatione distinxit, an illam actionem facere esse peccatum mortale, vel veniale, debet in confessione talem circumstantiam conscientia erronea aperire, si postea innenit non esse peccatum mortale illud, quod fecit? Ex part. 1. tractat. 7. Resolut. 24.

§. 1. A ffirmatu responderet Sanchez in summ. tom. 1. lib. 1. cap. 1. 1. num. 7. Vasquez in part. 2. tom. 2. dis. 59. cap. 3. num. 1. Azorius p. 1. l. 2. c. 8. 9. 6. & alii.

2. Sed contrariam sententiam probabilem etiam esse puto, quam docet Nauarr. in manuali, pralud. 9. num. 9. Lopez in instruct. part. 1. cap. 3. & ex necotericis Valentia tom. 2. dis. 2. queſt. 1. 4. punt. 3. qui hanc rationem adducit: [Nam velle id quod in genere dumtaxat iudicatur illicitum, non videtur esse gravis malitia, cum continetur adhuc eiusmodi voluntas intra limites eius rationis, qua est communis peccato mortali, & veniali, atque adeo sit imperfecta in genere mali: itaque solū hīc erit peccatum veniale.] Ita Valentia. Vnde talis circumstantia non erit in Confessione necessarium aperienda.

RESOL. VII.

An sit necessarium in confessione explicare si quis peccatis scienter, aut ignorantia culpabili? Et quid est dicendum, quando ea ignorantia morali-

ter vincibilis excusat à mortali transgressione humanae præcepti?

Et quid, quando ignorantia est affectata, & maximè ſe affectata effet ad liberius peccandum?

Et an quando quis peccat ex ignorantia ſint ibi duo peccata, unum ignorantia, alterum, quod ex ignorantia admittitur? V.g. eft aliquis, qui ex culpabili ignorantia non legit Horas Canonicas, ad quæ ratione Ordinis teneat, an ille peccet dupli peccato, uno ignorantia, altero contra virtutem Religio- nis? Vel ſi quis ex ignorantia culpabili Decalog. incidat in peccatum homicidij, &c.

Eadem eft ratio Confessari ex ignorantia eorum, quæ ad officium ſuum pertinent, abſoluens eum, quem abſoluerere non potest, &c. Ex part. 3. tractat. 4. Reſol. 1. 40. aliās 141.

Sup. conten-
to in hoc, &
seq. §. in Ref.
seq. §. vlt.

§. 1. A liqui afflant necessarium eſſe explica-
to, ſi peccatum fuit ſcienter admittitum,
quia diſtinguēt malitiam importat. Sic Adrianus
in 4. tractat. de confessione, queſt. 4. in 2. part. illius,
vbi de circumstantiis paulo poſt principium ver. for-
tē obiſſis, & Medina Complutensis, C. de confef-
ſione, queſt. de circumstantiis mutantibus ſpeciem, paulo poſt
principium.

2. Sed contrariam docent Nauarrus in cap. conſideret a num. 52. uſque ad 79. de pœnitent. diſtinguit. 9. & Suarez tom. 4. diſput. 2. ſect. 4. num. 14. nam, vt ait Valentia tom. 2. diſput. 6. queſt. 6. punt. 3. ciu- dem rationis ſunt peccata, ſue interna, ſue exter- na, cum ignorantia culpabili commiſſa, cum peccatis ſcienter admittiſſis, licet Scientia illa aggrauet. Additamen Suarez, & benē, id eſſe neccafium aliquando in ordine ad censuras Ecclesiasticas; nam ab illis, vt inſtrā dicemus, ignorantia ſapiens excusat. Idem etiam dicendum eft, quando ea ignorantia morali- ter vincibilis excusat à mortali transgressione hu- mani præcepti; nam in tali caſi neccafie erit igno- rantiam explicare, quippe quilibet circumstantiam ita minuentem quæ ex mortali efficiat veniale, ne- ccafium eft explicare. Similiter dicendum eft, quando ignorantia eft affectata, licet Nauarrus in man. cap. 6. num. 1. 2. dicat eam non eſſe necessarium in con- fessione explicandam; quamus affectata ſit ad finem Sup. hoc in liberiū peccandi. Sed ego ſic diſtinguendum cenfeo. §. not. præ-
dictæ. Si ignorans ille exponatur periculo admittendi alia peccata, ratione illius ignorantiae affectatae, ſue af- fectetur ad finem liberiū peccandi, ſue ad alios fines, & aduertatur ad id periculum, tenetur eam ignorantiae circumſtantiam fateri; quia mutat ſpeciem: tot enim peccata ille committit, quot committendi periculo ſe exponit. Ut fi. v. g. velut foemina cognoscere, affectet ignorantia, quænam ſit illa, vel ut liberiū peccet, vel ne eius culpa ita gravis ſit; hic enim in tali caſu exponitur periculo incestus, adulterij, fornicationis, lacrilegij, &c. Si autem ei periculo exponatur, quia nouit foemina alio ſtatu præter conjugatæ carere, & an hunc habeat, affectat ignorare, vel affectat ignorare aliam rem, in qua non eft aliud præter peccati determinati periculum, tunc ſi ignorantia non affectetur ad liberiū peccandum, non eft neccafie illam explicare, quia non aggrauat, ſed aliquantulum minui culpam, ſi vero ſit ad finem liberiū peccandi, notabiliter aggrauat. Et ita, qui tenent circumſtantias notabiliter aggrauantes eſſe neccafiam confitendas, dicendum eft hanc circumſtantiam fatendam eſſe. Qui vero contrarium conſent, dicunt cum Nauarro illam fatendam non eſſe, quia intra eandem ſpeciem notabi- liter aggrauat. Et haec omnia mutuatus ſum à Sanchez ſumma, tom. 1. lib. 1. cap. 17. num. 23. quæ valde à Confessariis notanda ſunt, non enim ita facile in eorum ſummis inueniuntur, ſicut iſta, quæ hic ſumphi à doctissimo